

10

1847

18

Q. D. B. V.

DISPUTATIO IURIDICA

DE

EXCEPTIONE
DEFICIENTIS
SIGILLI,

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDER. WILHELMO,

REGNI BORUSSICI, ELECTORATUS ET
PROVINCiarVM BRANDENBURG. HEREDE,

&c. &c.

IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

DN. IO. SAMVELE STRYKIO, D.

Prof. Publ. Ord. & Facult. Iurid. h. t.

DECANO,

Patrono Suo Summe Deuenerando,

In Auditorio Maiori

D. Iun. Anno MDCCII.

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittit

AUTOR

IOANNES AVGVSTVS BURGER,

Hall. Magdeb.

Typis Orphanotropei Glaucha - Halensis.

Diss. jur. civ.
478,4


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



PRÆFAMEN.



Vandoquidem mihi rationes Studiorum meorum specimine publico reddendæ illis, quorum nutu reguntur eadem, non putavi me id facturum commodius, quam si in materia vsu fori trita ingenii vires periclitarer. Hinc nulla intentioni meæ magis profutura semet obtulit, quam præsens illa de Exceptione deficientis sigilli. Itaque ex præcipuis Dd. controuersias huc pertinentes colligere & pro ingenii qualitate in formam disputationis redigere libuit. Tuum interim erit L. B. licet vires deficient, voluntatem approbare, & si forte lapsus fuero subinde, communem hominum sortem tibi in memoriam reuocare. Quo autem cuncta bene cedant, Deum O. M. calidissimis imploro precibus, velit sua gratia & benedictione ex alto in hoc negotio adesse mihi clementissime, & hisce ausibus meis ex alto Benedicere.



DISPUTATIO DE EXCEPTIO- NE DEFICIENTIS SIGILLI.

§. I.

*Verba clara
non indigent
explicatione.*



Solenne alioqui est circa exercitia Academica occupatis, terminorum primo, post rerum, enodationem proponere; quæ quidem industria vti sua laude non caret, ita quandoque otiosam redolet solertiam, si terminorum notitia omnibus pateat, & tamen circa eorum explicationem diu hæreant autores. Inde nec nos hisce immorabimur, sed operæ pretium facturi videmur, si omissis iis, quæ ad scholam criticorum pertinent, in præsentia, quid voce sigillorum denotatum velimus, præmittamus.

*Sigilla quid de-
notent in iure.*

§. II. Sigilla in iure nostro nunc dicuntur signa. *L. 22. §. 3. & 5. ff. qui testam fac. poss. L. 11. ff. de Injust. rupt. testam.* Unde signare est sigillo impresso chartam occludere *L. 6. ff. de custod. & exhib. reor.* Annulus signatorius *L. 74. ff. de V. S. L. 25. §. 10. ff. de Aur. & Argent. Legat.* Sigillum enim apud veteres in annulo erat & ideo annulus signatorius dicebatur. Theodor. Höping. *de Jure Sigillor. cap. 1. n. 39.* hinc Dd. sigillum & annulum quoad materiã probationis pro iisdem capiunt. Nicol. Euerhard. *Tr. de fid. instr. cap. 12. n. 1.* Menoch. *de Præsumt. Lib. 2. præf. 57. n. 2.* Germanice autem ita efferuntur, quod signum *Ein Handzeichen / annulus ein Petschaft-Ring / & sigillum ein Siegel* appelletur. Honthem. *de Arte Notariat. lib. 4. cap. 1. n. 3. seqq.* Sigilla etiam signacula nuncupantur *L. 1. §. 36.*

§. 36.

§. 36. ff. *Depos. L. Hac consultissima. 21. C. de testam.* Signatura quandoque pro sigillo accipitur, vt videre licet apud Christinæum *Vol. 2. Dec. 71. n. 1.* Wilhelm Anton. de Freun- deberg *Tract. de Rescript. Morat. cap. 57. n. 12.* Proprie au- tem signatura est scriptura in papyro a summo Pontifice vel eius delegato conscripta, partis siue impetrantis be- neficium, supplicationem, Papæque concessionem bre- viter continens. Rebuff. *in Prax. Benefic. tit. de Signat.* Petr. Gregor. *Syntag. Iur. Vniuers. lib. 17. cap. 15. n. 11. 12. 16. seqq.* In Saxonia appellant eine signatur, quando ipsi supplica- tioni inscribitur, quid Princeps fieri velit; in Marchia verò vocant ein Decret. illustr. Dn. Stryk. *in Annot. ad Lau- terbach. compend. ff. tit. de Const. Princip. Voc. Annotationes.* Iuxta stylum Cameræ Imperialis quid sit signatura docet Wehner. *in Thes. Pract. voc. signatur.* Vt plurimum quoque sigillum Secretum nominamus, quod dominus illud in secreto habeat. Höping. *d. Tract. cap. 1. n. 59. conf. Fulu. Pacian. lib. 2. de prob. cap. 40.* Sigilli vocis loco Si- gneti appellationem substituit imperator Maximil I. *in Ord. Notar. de Anno 1512. tit. von Testamenten §. 54. vers. und mit ihren gewöhnlichen Signeten zu besiegeln.*

§. III. Quod autem sigilla ab antiquissimis tempo- ribus obrinuerint, nullum est dubium: Colligunt enim Dd. ab Höping. *in cit. Tract. de Iure Sigillor. cap. 2. n. 2.* al- legati, ex voce hebraica *CHOTAM*, qua Moses vtitur *Ge- nes. XXXIIX. 18.* annulum, quem Iudas Thamari dederat, fuisse annulum signatorium. Imo & adhuc in sacris li- teris vestigia; annulos signatorios tunc temporis fuisse in vsu, extant, dum Ægypti Regem iuueni Ioseph. *in diuino somniorum coniectori annulum suum cum Rege proxima dedisse, & Ahaluerum Persarum potentissimum signatorem annulum dextera*

Eorum Esus est antiquissimus.

traxisse eundemque Hammoni assentatori, quem sibi fidissimum credebat, ad regias litteras consignandas tribuisse legimus. *Genes. XLI. 42. Esai. III. 10. 12.*

Definitio sigilli

§. IV. His ita præmissis, ad definitionem procedendum; vbi tamen non accuratam definitionem, sed tantum descriptionem aliqualem propono, quam breuibus ita formare licebit: Sigillum est nota quædam impressum habens nomen & insigne, vel simul, vel alterutrum, ad fidem rei conciliandam. *Bötticher in Diss. de Iur. Sigillor. thes. 8.* Membra descriptionis obscura non sunt, sed vulgaria, ideoque nec prolixiorum explicationem merebuntur: Dicitur (1.) nota, quod vocabulum non ita accipiendum, ac si quæuis nota statim esset sigillum. *Bötticher d. thes. 8.* hinc differentia causa (2.) dicitur, quod impressum habeat nomen & insigne; debet enim sigillum suos habere characteres, vel saltem litteras suas significatiuas & intelligibiles, vnde innotescere queat, cuius illud sit & dici mereatur. *Nicol. Euerhard. de fid. instr. cap. 12. n. 3. § 54.* Hinc sigillum, quod non satis se ostendit in forma impressionis vel cuius litteræ non satis conspicuæ & legibiles, nihil probat. *Menoch. A. I. 2. lib. 2. cas. 113. n. 12. § 13. Ruland. de Commiss. p. 2. lib. 5. cap. 30. n. 17.* Denique (3.) additur finis sigillorum, ideo enim imprimuntur, vt fidem rei concilient; sed de hoc in sequentibus.

De forma sigillorum.

§. V. Quale autem debeat esse insigne, quod insculptum sit, legibus non est expressum, hoc tamen communiter colligunt Dd. quod non debeat esse difforme sigillarum. *Sculcat. Lib. 2. de Rescript. pres. §. 3. n. 2. § tit. de primo igitur. col. 2. v. porro.* Si enim sigillum uat dignitati sigillantis, facile in dubium vocatur, vt ita eius fides per etur. *Menoch. d. l.* Et qui-

quidem olim maximè in vsu fuit, vt vel imagines Deorum, Principum, Heroum, vel maiorum, sigillis exprimerent. vid. Höping. *de Iur. Sigill. cap. 2. n. 90. seqq.* Verùm quid ita de moribus hodiernis dicendum, vbi in sculptura sigillorum plerumque omittitur nomen illius, cuius est sigillum? Quod si ad substantiam sigilli litteræ nomen exprimentes sunt necessariae, vt Dd. statuere dicit Höping. *d. Tract. cap. 12. n. 80.* facile suspecta dixeris sigilla his literis destituta. Sed quia ad mores in eiusmodi negotiis præcipuè respiciendum, non putarem suspectum esse eiusmodi sigillum, modo sculptura cum insignibus familiæ conueniat. Vnde nec arbitror vllam inde oriri suspicionem, si quis tale sigillum instrumento supponat, quod nihil nisi cancellatas nominis litteras continet, wann der Name in einen Zug gebracht und verschrencket ist; sufficit enim hic, quod hoc sigillo vti solitus fuerit; Vnde Maximil. I. *in Ord. Notar. de anno 1512.* quoad sigilla testium in testamento id tantum requirit, vt sigillatio fiat mit ihren gewöhnlichen Signeten. In Saxonia vero nouo edicto nuper prohibitum, ne sigillum, in quo litteræ nominis clathratim & per ductus exhibentur, in negotiis iudicialibus adhibeatur. Illust. Dn. Stryk. *in Annot. ad Lauterbach. tit. qui testam. fac. poss. pag. 741. voc. consueto.*

§. VI. Diuisiones sigillorum variæ ac multiplices proponuntur a Theodor. Höping. *in tract. de Iur. Sigillor. cap. 4.* ex quibus omnibus pro instituti ratione adduxisse puto, quando sigilla diuiduntur in publica & priuata. Publica dicuntur, quæ a persona publica in negotio, suam priuatam rem non concernente, ad publicam fidem faciendam, adhibentur. Nicol. Honthem. *de arte notar lib. cap. 11. n. 29.* Andr. Gilman. *Dec. 51. n. 43.* Etenim ad publicum sigillum requiritur, vt persona, quæ

Sigilla vel publicata vel priuata.

Quæ publica?

Quid ad illa requiratur.

hoc

hoc utitur, fit publica, & ut ratione officii fit appositum. Mascard. *de probat. concl. 1302. n. 27.* siquidem sigillum tantum probat in his, ad quæ est inuentum. Decius *in Cap. Postcessionem. x. de probat. n. 22. seqq.* Felin. *ad idem cap. n. 4.* Si tamen fit sigillum Imperatoris, vel Regis aut similis personæ superiorem non recognoscentis, pro publico habetur sigillo, etiam si in causa priuata sit adhibitum, uti ostendit Rutger. Ruland. *p. 2. lib. 5. cap. 30. n. 4.* Dum autem huiusmodi publicum sigillum publicam meretur fidem, in specie dici solet authenticum. *Cap. 2. X. de fid. instrum. Conf. Bötticher. in iam alleg. Diss. th. 10.*

Quæ priuata?

§. VII. Sigilla autem priuata sunt, quæ in negotiis priuatis sigillantium adhibentur. Nicol. Euerhard. *de fid. instr. cap. 12. n. 5.* Et talia habere possunt non tantum viri, sed etiam fœminæ, ut apparet ex *L. 2. C. de reb. alien. non alienand.* Nec interest an quis ipse, an per mandatarium sigillum adponat; mandatarius tamen ita adponere debet, ut fines mandati non excedat: Si enim negotium, cui principalis sigillum adhibetur, speciale requirat mandatum, citra illud mandatum sigilli adpositio nullius erit momenti König. *in process. p. 2. cap. 29.*

Varia sigilla habere licet.

§. VIII. Potest etiam quis plura & diuersa sigilla habere, diuersis tamen vsibus & negotiis destinata, per textum. *in Cap. Significauit 48. de Appellat.* Præcipue verò Principes nostri huiusmodi distincta sigilla habere solent, quorū unum deputatum est causis iudicialibus, aliud feudalibus, aliud secretis negotiis, aliud causis Camerae & contractibus siue obligationibus ipsius Principis, & ita de reliquis. Quotiescunq; vero diuersa eiusmodi sigilla existunt vnius domini, tunc ad hoc, ut sigillū in iis casibus, in quibus aliàs probare solet, suam obtineat fidem, necesse est, ut apponatur sigillū ad eas causas deputatum, per *d. cap. 48.*

Quodlibet negotio, cui destinatum est, adhibendum.

Qua-

Quapropter si aliud sigillum ad huiusmodi causas non destinatum scripturae inueniatur appositum, tunc illud sigillum nihil probat *Speculat. in tit. de Citationibus §. iam de citatione. n. 13.* Si tamen is, qui sigillare debet, sigillum ad eam causam deputatum tum forte secum non habeat, poterit alio suo sigillo uti, tumque illud probabit, ita tamen, ut in scriptura vel subscriptione, cui sigillum adponitur, haec ipsa causa exprimatur, quod scilicet propter defectum sigilli ordinarii, quod tunc praemanibus non erat, dominus aliud suum sigillum adposuerit, quemadmodum in simili videmus, cum quis propter defectum sigilli proprii sigillat alieno annulo, tunc eius rei mentionem in subscriptione fieri debere. *Speculat. d. §. n. 14.*

§. IX. Quamuis sigillum per se nihil dicat, nihilque loquatur, ac sit testis mutus & incertus *Menoch. de A. I. Q. lib. 2. cas. 113. in pr.* maioris tamen securitatis causa in instrumentis sigilla adhibemus, iisque ea vallamus & munimus; quippe quod sigillorum usus ad euitandas falsitates potissimum introductus fuerit, non enim tam facile sigillum falsificari sicut scriptura potest. Imo *Höping. de Iur. Sigillor. cap. 9. n. 31.* concludit; Quo plura sigilla & solennia scripturae adhibentur, tanto maiorem & pleniorē fidei, certitudinis, & veritatis rationē haberi, tantoque minorē relinqui erroris & falsitatis committendae occasionem, & scripturam alias improbabilem fieri probabilem. Hinc qui sigillo adposito fidem dedit, promissum eo magis seruare tenetur. *Matth. Wesenb. cons. 52. n. 14.* Nec quicquam turpius est quam fidem suo insigni ac caractere munitam fallere, vnde *Höping. cit. Tract. cap. 10. §. 1. n. 13.* ex *Kirchnero* refert articulum nobilitatis equestris, ne, si quis sigilli fracti in simulatus esset, ad militaris

Cur instrumentis sigilla adhibeantur?

B

exer-

exercitii honores admittatur. Et ideo hodie passim in Germania instrumenta claris & indubitatis sigillis confirmata paratam executionem operantur. Köppen. *Dec. 46. n. 44. seqq.*

Sigillum adpositum vim approbationis habet.

Quando hoc verum sit.

§. X. Scripturæ appositum sigillum inducit declarationem voluntatis, consensus & approbationis, sigillum enim in suo negotio scripturæ rite apponens censetur in omne id, quod scriptum est, consensisse. arg. *L. 20. §. 1. ff. de testam. milit.* Cum enim consignatio & subscriptio, vel eorum alterutrum duntaxat, ceteris paribus, consensum vel obligationem inducat. *L. 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. soluat.* facile apparet, quod sigillum suo negotio apponens id approbasse videatur. *Couaruu. pract. quest. cap. 22. in fin.* Ut tamen sigillatio vim & præsumtionem approbationis, consensus & voluntatis habeat, sequentia diligenter obseruanda, requiritur autem (1) vt sigillum scripturæ apponens scripturam istam viderit, legerit, ac intellexerit, non autem si alii fidem habuerit, quæ tamen scripturæ lectio & cognitio in dubio, & quando aliud ac contrarium ex aliis circumstantiis colligi non potest, facta præsumitur. *Coler. de Process. Execut. p. 3. cap. 1. n. 130.* (2) vt vel ipse sigillans sigillum suum scripturæ alienæ impresserit, vel de voluntate sua illud impressum fuerit. *Coler. d. cap. 1. n. 127. seqq.* (3) vt pro inducenda obligatione sigillantis sit appositum, nam si non tanquam a contrahente, sed tanquam a teste ad finem testimonii sigillata fuerit scriptura, nihil eiusmodi sigillatio præiudicabit sigillanti. *Matth. Wesenbec. conf. 178. n. 4.* *Anton. Faber. in Cod. lib. 4. tit. 20. def. 3. n. 2. in not.* Imo licet præsumamus sigillum cum voluntate sigillantis appositum fuisse, tamen hoc ipsum aliquam obligationem sigillantis intuitu non statim importat :

Quæ-

Quælibet enim dispositio ad causam suam finalem restringitur. Virgil. Pingizer. *illust. quest. Saxon. 38. n. 44.* ideo semper in dubio auctorisationis potius quam obligationis ratione sigillum adhibitum fuisse intelligitur. Hinc & cautelam istam, qua sibi subscribentes & sigillantes instrumentum tanquam testes vulgo prospicere cupiunt: *Mir und dem meinigen ohne schaden* non necessariam sed abundantem dicit Illustr. Dn. Stryk. *in C. C. sect. 1. cap. 6. §. 13.* cum ipso iure alienam obligationem subscribentes non teneantur ex nudo actu subscriptionis & sigillationis. Coler. *d. Tract. p. 3. cap. 1. n. 127.*

§. XI. Ut autem omne sigillum maxime priuatum rectam & legitimam faciat probationem roburque scripturæ addat, in eius appositione regulariter tria requiruntur a Dd, ab Höping. *de Iure Sigillor. cap. 11. n. 17.* allegatis, & primum requisitum est, vt in scriptura seu subscriptione exprimat, *cuius sit sigillum*; secundum, *a quo sit adpositum*, & tertium, *propter quid sit appositum, siue ex qua causa adiectum*. Si enim hæc non appareant, nec ex circumstantiis possit colligi, sigillum nihil operatur. Matth. Wesenb. *cons. 178. n. 18.* Mascard. *de probat. concl. 1302.* Menoch. *de A. I. Q. cas. 113. n. 3.* Hinc in fine instrumenti plerumque solet addi hæc clausula, quod partes in maiorem fidem, maiusque robur suum, consuetum apposuerint sigillum. Si tamen constet a quo sigillum illud sit appositum, cuiusque sit sigillum, eum in finem censetur appositum, qui rei gestæ est conueniens. Bötticher *in Diss. de Iur. Sigillor. th. 74.*

§. XII. Quamuis autem contractus aliaque negotia ciuilia regulariter consensu perficiantur. §. 1. *Inst. de Emt. & Vendit.* nec ad sui substantiam & solennitatem scripturam seu instrumentum desiderent L. 4. ff. *de Pig-*

Quando sigillum priuatum faciat probationem?

An sigillum requiratur in contractu in scriptis celebrato?

not. Vix tamen hodie in praxi alicuius momenti negotium geritur, quin scriptura seu instrumentum accedat, quo casu, vti in omnibus aliis negotiis primo inspiciendum, quid inter contrahentes actum, & quod inter eos actum illud sequendum. *L. 34. ff. de R. I.* cum contractus ex partium conuentione legem accipiant *L. 1. §. 6. ff. de pos.* & pactis atque conuentionibus legibus derogetur. *L. 31. ff. de pact.* idem & hoc casu probe attendendum. Inspiciendum igitur hic an partes in scriptis negotium celebrare voluerint, an vero saltem vt negotium in scripturam redigeretur. Hoc casu etiam absque instrumentis perfectum erit negotium, cum habeat suum substantiale nempe consensum. *§. 1. Inst. de Emt. & Vendit.* & scriptura facilioris tantum probationis ergo accedat, quod tamen in sensu iuris scriptum negotium non dicitur *Carpz. p. 2. c. 23. d. 13.* nec inde resilire licebit. *§. fin. inst. quib. mod. toll. oblig.* Priori casu non sufficit, quod partes conuenerint de instrumento conficiendo, sed requiritur, expressum accedat pactum, quod negotium non aliter, nisi confecto instrumento, debeat esse perfectum. *L. 17. C. de fid. instrum.* vid. *Illustr. Dn. Stryk. in C. C. sect. 2. cap. 8. §. 1.* quo casu contractus & negotium non prius erit perfectum, quam si complementum acceperit, wann alles gebührend vollenzogen worden/ h. e. vt scriptura sit in mundum redacta, subscriptionibusque partium confirmata, vel pro re nata simul cum subscriptionibus sit sigillata; subscriptionibus enim secundum mores hodiernos addi solent sigilla contrahentium, quæ perfectionem contractus in instrumento contenti arguunt secundum tradita *Glossæ in L. 17. verb. absoluta. C. de fid. instrum.* *Hartm. Pistor. p. 3. qu. 27. n. 8.* Imo sigilla sunt pars instrumenti, maxime si ita comparata, vt
instru-

instrumentum mentionem sigillorum faciens velit ab auctoritate eorundem vim eius dependere: tunc enim instrumentum esset sine iis plane inutile. Hostiensis in *Cap. inter dilectos. de fid. instrum. Zas. lib. 1. cons. 2. n. 27.* In dubio vero scriptura facilius probationis gratia accessisse censetur, licet initio conuentum, vt negotium in scripturam redigeretur. *B. Dn. Brunnem. ad alleg. L. 17. C. de fid. instrum.*

§. XIII. Cum vero ad negotium in scriptis celebrandum communiter adhiberi soleat notarius, qui super hoc instrumentum conficiat, hinc quæritur, an ad validitatem instrumenti sigillum Notariatus, quod aut is, qui Notarium creauit, ipsi dedit, aut ipse elegit peculiare, requiratur? Equidem sunt qui volunt istam solennitatem non esse substantialem, sed laudabilem tantum, cuius ommissio non debeat vitiare instrumentum, Io. Andr. in *Addit. ad Speculat in tit. de instrum. edit. §. breuiter. col. fin. n. 15.* Imola in *Cap. 1. de fid. instrum. & Alex. in Rubr. ff. de Nov. Oper. nunciat. n. 44.* qui dicit hanc opinionem esse communem. Sed quicquid tamen sit, affirmatiua sententia verior, pro qua adducuntur verba Imperatoris Maximil. I. in *Ord. Notar. de Anno 1512. §. 2. ibi: Und zulezt das Signet.* Istiusque signeti appositio facienda est etiam, cum Notarius instrumento per alium scripto subscribit, Bald. in *L. Singulos 30. ff. qui testam. fac. poss.* imo volunt etiam nonnulli in protocollo quoque Notarii signum esse apponendum, per eundem Bald. in *L. Lucius 40. pr. ff. de militar. testam.* sed in hoc consuetudo locorum attendenda est, nam de iure non puto obligari notarium vt protocollo signum suum apponat. Alias solent Notarii præter sigilla Notariatus etiam sua sigilla priuata ihr eigenes gewöhnliches Hand-Siegel oder

*An Notarius
instrumento suo
necessario sigillum
adiicere debeat?*

*Notarii priuata
sigilla de se
perfluo simul
adiiciunt.*

Wapen adponere, quod quidem ipsis speciali lege iniunctum non legitur, ad id tamen utile esse posset, ut eo facilius de Notario constet, quis ille fuerit. Ast enim vero de maiori notariatus sigillo solum hic quaeritur, adeo, ut si illud reperiatur omissum, instrumentum ex hoc vitietur. Aym. Crauetta *conf.* 72. n. 4. Couarruu. *pract. resol. tom. 2. c. 20. n. 5.* Dan. Moller. *lib. 4. Semestr. cap. 15. n. 3.* Hinc & in Electoratu Saxon. speciali Decisione sancitum, ut nullum instrumentum, in quo sigillum notariatus omissum, etiamsi sit vidimatum, valere, & notarius pro qualitate causae arbitraria poena affici debeat, si ad instrumentum conficiendum rogatus tantum suo priuato & non notariatus sigillo usus per *Decis. Elect. Saxon. 20. ibique Philippi obs. 3.* Alias extra Saxoniam, & lege hac non extante, in sola instrumenti vidimatione signetum Notariatus non tam praecise requiri, sed priuati sigilli appositionem sufficere putat Carpz. *lib. 3. tit. 8. Resp. 85. n. 22.* ex ratione, quod copia vidimata, quam vulgo vidimus appellamus, sit solummodo referens, quod per se absque relato nihil probat, quantumuis etiam signetum notariatus appositum esset. *conf. Auth. Si quis C. de Edend. Nov. 119. cap. 3.* Verum cum res haec dubio non careat, & facile ansam disputandi suppeditare possit, tutius est sigillum notariatus adiici: maxime cum copia vidimata saepe non minimam vim probandi habeat.

*Pecunia non ob-
signata deposita
& usus simul con-
ceditur.*

§. XIV. Depositarium sine consensu deponentis rem in proprios usus conuertere non posse, & si hoc faciat, eum furtum committere constat ex *L. 3. C. depos. & L. 29. pr. ff. eod.* Sed conceditur facultas utendi quandoque tacite, si nimirum pecunia numerata & non ob signata simpliciter deposita *L. 31. ff. Locati.* quam praesumi-
tur

tur ita tradidisse, vt accipiens ea vti possit, quo nomine depositarius deponenti gratias agere debet, prout ex *L. 3. C. Depos.* concludit Fulu. Pacian. *de Probat. Conclus.* 150. n. 25. insuper tamen etiam vsuras præstare B. Dn. Brunnem. *ad L. 29. ff. depos. n. 2.* Sed hæc omnia ita procedunt, modo pecunia eum in finem non numerata, vt de eius quantitate tantum constaret, aut tales nummi sint, in quos propter antiquitatem illorum, vel bonitatem vel memoriam, affectio aliqua cadere possit. B. Dn. Brunnem. *ad L. 3. C. & L. 24. ff. depositi n. 3.* Hinc ad intentionem contrahentium potissimum respiciendum esse dicit Card. Mantica *de Tacit. & Ambig. Conuent. lib. 10. tit. 3. n. 10.* Pro cautela ergo obseruandum, ne quis depositam pecuniam aliter quam obsegnatam recipiat, sic enim liberatur a periculo. Dn. Stryk. *in Annot. ad Lauterbach. tit. depos. pag. 468. voc. simpliciter deponitur.* Quod alias ab eo tempore sustinet, quo vti pecunia coepit; vel statim, si precibus depositarii non fuerit obsegnata. Idem *in Caut. Contr. Sect. 2. c. 3. §. 9.*

§. XV. Porro nec ille casus sicco prætereundus pede, Quod si cista bene clausa & obsegnata apud Titium deponatur, illa autem reclusa & resignata deprehendatur, tunc dolum inde depositarii præsumi, in tantum, vt deponens ad iuratum rerum in arca contentarum probationem admittatur, Mantica *de tacit. & ambig. conuent. lib. 10. tit. 5. n. 4.* Franzk. *ad ff. tit. Depos. n. 64.* Nam deposita cista res in ista videntur depositæ, etiamsi ignorauerit is, qui depositum suscipiebat, res ibi esse. *L. 1. §. 41. ff. Depos.* Dummodo deponens obseratam cistam depositario ostenderit, sicque ei commendauerit. Carpz. *lib. 2. Resp. 69. n. 9. & 10.* Potest tamen depositarius contrarium probare, vel iuramento purgationis se ab indi-

Limitatio.

Quid iuris si cista obsegnata & clausa deposita postea vero resignata & reclusa reperitur?

cuis

ciis doli liberare. Mantica *d. l. n. 9. 10.* Argumenta autem probabilia innocentiae existunt vel ex persona depositarii, si sit vir honestus & spectatae fidei, deponens vero persona leuis. Carpz. *d. Resp. 69. n. 11.* nec praesumi possit quod tantam pecuniae summam, quantam se amisisse dicit, secum habuerit, Struu. *Syntag. Iur. Ciu. Ex. 21. th. 41.* vel ex facilitate referandi, vel si ex necessitate vel iusta causa quaedam circa cistam acta unde fractio facilis fuit. vid. Meu. *p. 9. Dec. 55.* Quo autem variae euitentur lites cautela pro deponente est, ut res in cista conditas ostendat depositario, & desuper recognitionem petat; tali enim casu neque de custodia rerum contentarum, neque de earum aestimatione dubium superesse poterit; imo nec excipere poterit depositarius, se, si sciisset, res tanti pretii in arca reconditas fuisse, securiori loco collocaturum fuisse, Dn. Stryk. *in C. C. sect. 2. cap. 3. §. 7.*

Judicialiter deposita pecunia obsignanda.

§. XVI. Nunc quaedam etiam de deposito iudiciali addam, quod describitur in *L. Acceptam. 19. C. de Vfur.* Inter eius enim requisita & hoc probe attendendum, quod in eo consistit, ut scilicet si creditor absque iusta causa solutionem accipere recuset, fiat iudicialis obsignatio & depositio apud competentem iudicem; Unde quod obsignationem concernit, ea nullatenus omitti potest, adeo ut ea non facta totum corruat depositum. Schultz. *de Oblat. Obsignat. & de pos. pecun. debit. p. 316.* qui & sequenti pag. temeritatem quorundam iudicum eam sub praetextu receptae consuetudinis intermittentium, ut eo facilius nummis apud se depositis uti possint, & in suos usus convertere, perstringit. Quis autem depositum obsignare & quibus sigillis obsignatio fieri debeat, expresse in iure definitum non reperitur. Dicitur quidem in *L. fin. ff. de L. Commissor.* pecuniam debitam signatorum

rum

rum signis obfignatam esse depositam, non tamen vlla lege sancitum aut constitutum est, quod signatores, h.e. testes, ad rem signis suis obfignandam adhibiti de necessitate sint requirendi. Docet hinc Freyer. *Tract. de solut. cap. 6. n. 214.* quod in nonnullis locis siue iudiciis receptum sit, vt fiat obfignatio a solo iudice, vbi vero hæc consuetudo non viget, perinde esse affirmat Schultz. *d. l. n. 30.* an ea fiat ab ipso debitore, an vero ab aliis eius loco expediatur, dum tamen adhibeantur personæ honestæ & fide dignæ. Hoc sane manifestum est iudice obfignationem negligente, debitorem eam vrgere & adhibere, debere, si securus esse velit. Verum hæc solennitas oblationis & obfignationis haud necessario est obseruanda in depositione necessaria, quæ scil. apud sequestrem vel iudicem fieri solet in fauorem creditorum domo sub hausta vendita, qua de re vid. Carpz. *p. 2. c. 28. d. 17.*

§. XVII. Non licuisse quondam omnibus per procuratores causas suas in iudicio expedire, nisi certis quibusdam casibus, monet Imperator in *Pr. Instit. de iis per quos ager. poss.* Postea vero necessitate & utilitate sua dente generalior facultas per procuratorem experiundi indulta, adeo vt liberum cuique sit, an ipse, an per procuratorem causam in iudicio ventilare cupiat. Interim tamen litigantes aduocatis aut procuratoribus suis dare debent mandata, quorum exhibitione personas suas legitimant, & prout Dd. loquuntur, iudicium substantiatur. Carpz. *in Proc. tit. 5. art. 1. n. 57.* Hinc & ipsi procuratores, qui mandatum ostendere vel non possunt, vel etiam recusant, statim ab initio a limine iudicii repellendi. *L. 1. § 24. C. de procurat. Meu. p. 3. Dec. 23. n. 6.* Vnde & hæc exceptio deficientis mandati in omni iudicii parte opponi potest, vt ut e-

*Procuratores
mandata exhibere
& se legitimare
debent.*

C

nim

nim fit exceptio dilatoria est tamen processus annullatoria *L. 24. C. de procurat.*

In mandato requiritur subscriptio & signatio.

§. XIIIX. Inter requisita autem, quæ legitimo mandato adhibentur, omnino notanda subscriptio & sub-signatio constituentis mandatum, quæ in praxi coniunctim adhibenda, ita ut sola subscriptio mandati non sufficiat, nisi accesserit sigillum. Höping. *de Iur. Sigillor. cap. 15. §. 1. n. 108.* Ruland. *de commiss. p. 1. cap. Lib. 5. 8. n. 7.* Idem probat observantia huius Ducatus Magdeburgici. *Ord. Proc. cap. 12. §. 2. vers. unterschreiben und besiegelt.* Unde & omnino dubia est sententia Meuii *p. 2. Dec. 60.* existimantis solum sigillum in mandato sufficere sine subscriptione: Quamvis enim de hoc casu se loqui dicat, ubi lex aut consuetudo utrumque ad substantiam mandati non requirit; cum tamen iure communi sigillum nihil operetur, sed subscriptio omnino necessaria sit, sigillum vero subscriptionis defectum regulariter nunquam suppleat, quod variis auctoritatibus probat Höping. *d. loc. n. 92.* sequitur, talem consuetudinem specificè probandam esse, quæ sigilli adiectionem pro subscriptione habeat. Illustr. Dn. Stryk. *in V. M. ff. tit. de procurat. §. 36.* Licet enim prior sententia fundata videatur in *L. 39. ff. de V. S.* attamen non admittenda, cum sigillorum privatorum auctoritas tanta non sit, quam publicorum, quæ sola sufficere solent. Carpz. *in Proc. tit. 5. art. 1. n. 104.* Köppen. *Dec. 46. n. 41.* Imo subscriptio hæc & sub-signatio mandatarii principalis etiam in substituti mandato necessaria, adeo ut si hac solennitate careat, æque invalidum & illegitimum habeatur, Carpz. *lib. 3. Resp. 6. n. 12.*

An illa sufficiat sine subscriptione?

Si vero casus contingat, aliquem sigillum non habere ad manus, vel eo nunquam fuisse usum, tunc nullitatem mandati evitabit, si vel alieno utatur, & in subscriptione

Quid si mandans sigillo destituatur?

ne

ne addat : In Mangelung meines Pitschaffts habe ich Titii insiegel hierbey gedruckt / vel omittat plane sigillationem, subscribens tantummodo hæc consueta verba :

In Mangelung meines Pitschaffts meine eigene Hand.

Carpz. in Proc. tit. 5. art. 1. n. 96. Quid vero si quis scribere ignoret ? non sufficit si præter sigillum suum etiam crucem manu sua apponat, vel etiam literas saltim *Quid si scriber e nesciat ?*

initiales sui nominis & cognominis adscribat, sed necesse est, vt adhibeatur Notarius *Ord. Proc. Magdeburg. cap. 12. §. 2. & Ord. Proc. Saxon. tit. 7. §. 3.*

Nec tamen requiritur, vt instrumentum solenne conficiat, sed sufficit, si ipse nomen mandantis & suum ipsius subscribat, addita mentione, mandantem literarum esse ignarum.

Casp. Ziegler. *ad d. ord. proc. sax. vel judicialiter apud acta procurator constituatur, id quod viva voce expediri potest, dum tamen actuarius id consignet & ad acta scribat, ne in processu litis ea de re dubium oriatur.*

Ziegler. *d. l.*

§. XIX. Verum interdum quoque charta vacua a principali quidem subsignata & subscripta, sed non con- *An sufficiat loco mandati Charta blanca subscripta & subsignata ?*

scripta, quam nos blancetum seu chartam blancam, vulgo Blanquet, vocamus, loco mandati dari solet, an sufficiat quæritur ? Recte hoc negatur a Berlich. *p. 1. conclus. 14. n. 91.* aliis allegatis Dd. idque propter suspicionem falsitatis, chartæ enim blancæ abusus est facilis ; & hæc negatiua decisio etiam approbatur in *Ord. Proc. Magdeburg. cap. 14. §. 2. vers. oder mit einem blanquet in cines andern Nahmen.* Imo etiamsi quis verbis expressis in subscriptione sua subiecerit, hoc esse mandatum in tali vel tali causa, tamen non admittitur. Berlich. *d. l.*

§. XX. Iure Romano syndicus ciuitatis vel vni- *In mandato Syndici solum sigillum sufficit.* uersitatis ab aliorum procuratorum sorte non differabat,

bat, nisi quod hic a pluribus personis collegialiter viuentibus, procurator vero a personis singularibus constituitur; vnde regulariter a procuratore ad syndicum & vice versa procedit argumentum; imo & syndicus officium iure Rom. erat mere priuatum. Hodie autem officium syndicus a plerisque ciuitatibus publicum est amplissimaque dignitate gaudet. Quippe per syndicos non tantum actiones ciuitatum exercentur, & agentibus aliis contra ciuitatem respondetur, sed & quæ ipsam ciuitatem eiusque administrationem concernunt, syndicorum ope & consilio exercentur. vid. Illustr. Dn. Stryk. in *V. M. ff. tit. quod cuiusque vniuers. nom. §. 2.* Conuenit tamen syndicus & procurator maxime in eo, quod sicut hic, ita & ille personam suam in iudicio legitimare necessum habeat. Anton. Faber. in *Cod. lib. 2. tit. 6. def. 7. n. 5.* Legitimatur autem persona syndici per exhibitionem mandati vel instrumenti, quod syndicus vulgo appellatur. Ast num subscriptione opus habeat expediti iuris non est. Postquam enim subscriptio pariter & sigillatio ad mandati substantiam requiratur, quin & mandatum non subscriptum a mandante fit inualidum. §. *XIIX.* dictum de syndicus instrumento idem dixeris, quippe quod hoc in locum mandati surrogetur, ipsumque sit mandatum, vt hinc eadem quoque solennia adhiberi necesse videatur. Sed verius est subsistere instrumentum syndicus solo iudicii vel Magistratus signeto, vel etiam Notarii autorisatione confirmatum, absque omni constituentium subscriptione. B. Dn. Brunneman. *ad L. 6. ff. quod cuiusque vniuers. nom. n. 2.* Berlich. *p. 1. conclus. 14. n. 89.* Sigilla enim publica per se fidem faciunt. Klock. *vol. 2. conf. 82. n. 107. seqq.* Verum hoc non aliter procedit, quam si sigillo publica auctoritate indulto v-

tatur

tatur collegium, vt hinc in figillo ciuitatis alicuius hoc facile admitti possit. Carpz. *in Proc. tit. 5. art. 4. n. 40.* Quod si vero tali sigillo destituatur collegium, vel priuata tantum autoritate sibi quoddam confecerit, non potest hoc publicam mereri fidem, sed eodem iure gaudebit, quo sigilla priuatorum, hæc vero subscriptionem insuper desiderant. Illustr. Dn. Stryk. *in V. M. ff. d. l. §. 5.* Quorsum fere inclinatur. Carpz. *d. art. 4. n. 25.* dicens *Nam raro singula collegii membra sua subscribunt nomina, sigillaque adponunt.*

§. XXI. Transeo ad actus vltimæ voluntatis, vbi licet secundum Imperatoris effatum in *L. Habeat. 1. C. de S. S. Eccles.* nihil sit, quod magis hominibus debeatur, quam vt supremæ voluntatis, postquam iam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium; certis tamen conditionibus hæc potestas restricta, certa enim forma præscripta, quam mutare, & ita iuri publico derogare nemini licitum. *L. 55. ff. de Legat. 1.* Et sic testator non potest minuere formam a iure præscriptam: Barry. *de Succes. lib. 1. tit. 1. n. 46.* hac enim non obseruata totus statim actus solet esse vitiosus & nullus. *L. 55. C. de LL.* adeo vt ne Princeps quidem non solennia testamenta pro validis existimet, vt ut lucrum inde speret. §. *ult. Inst. quib. mod. testam. infirm.* Subscriptiones autem & sigilla testium non solum requiruntur ad probationem, sed etiam sunt de solennibus seu formalibus testamenti *L. 22. ff. qui testam. fac. post. testam. fac. post. testam.* manti enim finis sunt subscriptiones & signacula testium, vnde non subscriptum a testibus ac non signatum testamentum pro imperfecto haberi conuenit *L. 21. pr. in fn. C. de testam.* Imo adeo signacula sunt necessaria, vt si ex testibus quis se subscripserit, non tamen signauerit,

*In testamentis
requiruntur si-
gilla testium.*

Quæ adhiben-
da vno contex-
tu.

perinde fit, ac si adhibitus non fuisset. *L. 22. §. 4. ff. qui testam. fac. pos.* Requiritur autem vt ea, quæ de subscriptionibus & subsignationibus dicta sunt, vno contextu siue vno eodemque tempore fiant, ita vt nullus extraneus actus interueniat. *L. 21. §. fin. ff. qui testam. fac. poss.* solennium enim ea est natura, vt diuidi nequeant. *L. 137. pr. ff. de V. O.* Debet itaque testator eodem tempore testamentum signandum testibus offerre, & illi omnes eodem loco & tempore subscribere & signare. Nam si quis coeperit testamentum facere adhibitis aliquot testibus, deinde ex intermissione coeptum testamentum perficere voluerit, nullum & imperfectum erit testamentum. *Manz. de testam. Valid. & inualid. tit. 4. n. 153.* Non tamen necesse est, sed prorsus superfluum eo ipso tempore, quo solennitates adhibentur, vno contextu testamentum quoque scribi vel dictari, sed potest testator alio tempore dictare vel scribere & alio testibus proponere, subscriptiones & signacula eorum exigere, modo hoc vltimum vno actu fiat. *L. 21. C. de testam.*

An præcise an-
nulo signare te-
stes debeant?

§. XXII. Sed an præcise annulo & non alio quoque signo signare licet? Quamuis præcise annulum requirat *Reufner. de testam. p. 2. c. 27. n. 7.* tamen & alio signo subsignationem fieri posse verius est, quia annuli non ideo adhibentur, quia sunt annuli h. e. quia sunt in orbem reflexi, sed quia signum testis iis reperitur insculptum. *Dn. Hopp. in Comment. ad Inst. tit. de testam. Ord. §. 5.* Nec obstat *L. 22. §. 5. ff. qui testam. fac. poss.* nam hoc receptius esse dicitur in *alleg. L. 22.* ita enim particula *magis* ibi explicanda, vt hinc aliud signum non excludatur, modo characterem habeat. *Illustr. Dn. Stryk. in not. ad Lauterbach. tit. qui testam. fac. poss. p. 741.* Imo post signaturam nullum vestigium remanet, an quis annulo,
an

an alio signo signauerit. Propterea propter notoriam consuetudinem & *Ord. Imp. de anno 1512. §. die Form ei-
net testamentis / ibi: Mit ihren gewöhnlichen signeten,* certum, quod non annulo tantum, sed & alio signo, signari possit testamentum.

§. XXIII. Et hoc etiam est requisitum testamenti scripti solennis, vt scil. ipse testator subscribat testamentum *L. 21. C. de testam.* nisi totum sit holographum h. e. propria manu conscriptum. *L. 28. §. 1. C. eod.* necessum tamen est, vt de manu testatoris constet, & sic consuetum foret, vt in præsentia testium conscribatur, si citra subscriptionem valere debeat, nam & subscriptio testibus præsentibus facienda. *Illustr. Dn. Stryk. ad Lauterbach. d. l. pag. 742.* Quod si testator ipse scribere non possit, octauus testis adhibendus. *d. L. 28.* qui tamen non nomen testatoris, sed suum subscribit, addere tamen debet se nomine testatoris subscripsisse. *Carpz. p. 3. D. 147. n. 13. seq. add. Dn. Stryk. in Disp. de testam. corp. vitiator. §. 26.* Sed an non etiam subsignatio a testatore requiratur? *An etiam subsignatio.* Sunt qui hoc affirmant, & quidem proprio signo opus esse putant. *Pruckmann. Vol. 1. cons. 1. n. 35. Roland. a Valle cons. 36. n. 4.* Hoc tamen merito displicet *Manzio in Tract. de testam. val. & inual. tit. 4. qu. 1. n. 115.* quia in *L. Hac consultissima. 21. C. de testam.* quam pro fundamento allegat, nihil pro eo reperitur, nec quicquam in Maximiliana informatione notariorum, hinc solennitates absque lege non sunt multiplicandæ: Sola ergo subscriptio testatoris requiritur, aut pro eo octaui testis, qui non testatoris, sed suum nomen subscribit. *B. Dn. Brunnem. ad L. 22. ff. qui testam. fac. poss. n. 7.* Vnde, licet testator sigillum suum apposuisset, postea autem hoc per ipsum testatorem remotum esse appareat, nihil omi-

*In testatore re-
quiritur sub-
scriptio.*

*An etiam subsi-
gnatio.*

omi-

ominus testamentum validum manet, sigillum enim testatoris, cum sit superfluum inter modos reuocandi testamentum non numeratur. Moller. *lib. 3. Semestr. cap. 4. per tot.*

An ex testamento cui sola sigilla testium adiecta danda bon. poss.

§. XXIV. Ventilari hic porro meretur, quid iuris sit de testamento, quod sola signacula testium sine subscriptionibus habet; videtur bonorum possessio secundum tabulas locum sibi vindicare, leges enim de solennitate iuris Prætorii loquentes tantum signacula testium requirunt. §. 6. *Inst. quib. mod. testam. infirm. L. 12. ff. de iniust. rupt. testam. L. 7. ff. de bon. poss. secund. tab. L. 2. C. eod.* & vltimus Imperator in §. 2. & 3. *Inst. de testam. ord.* dicit, signacula testium iure prætorio fuisse sufficientia, subscriptionem vero ex iure constitutionum desideratam fuisse. Verum cum hodie, quantum ad solennia, non nudo iure prætorio vtamur, sed quatenus ius civile & prætorium in vnam consonantiam iunctum est *d. §. 3. Inst. de testam. ord.* Hinc hodie signa & subscriptionem recte requirunt *Dd. Dn. Stryk. in Tr. de S. A. I. Disp. 9. cap. 4. n. 51.*

Testamentum nuncupatiuum non indiget subscriptione & subsigillatione.

§. XXV. Testamentum nuncupatiuum est, quando testator palam coram testibus heredis nomen totamque suam voluntatem nuncupat siue exponit §. *fin. Inst. de testam. ord.* Et in hoc testamento eadem solennia, quæ in testamento scripto requiruntur, necessaria sunt, exceptis illis, quæ per scripturam & subsignaturam expediuntur. *Perez. in Cod. tit. de testam. n. 12.* quoad hæc enim differt testamentum scriptum a nuncupatiuo, cum hoc viua voce fiat coram testibus; scriptum vero tum ab ipso testatore scribi debeat, tum a testibus subscribi & subsignari. Quod si autem præter testamenti scripturam & signacula testium in aliis requisitis quidam defe-

defe-

defectus adfuerit, hoc in casu absque dubio æque nuncupatiuum ac in scriptis testamentum factum vitiatur. *Vigel. meth. iur. Civil. lib. 9. cap. 9. in fin.* Imo concludunt Dd. ex sigillis & testium subscriptionibus argui, testatorem in scriptis voluisse testari, & non nuncupatiue. *Card. Paris. vol. 3. conf. 19. in princip.* & quidem ea ex ratione, quia rei qualitas & circumstantiæ agentis intentionem demonstrent. arg. *L. Non codicillum. 14. C. de testam.* Hanc tamen conclusionem procedere dicit Höping. *de iur. Sigillor. cap. 12. n. 66.* quando non solum testator ipse testamento subscripsit, sed etiam expresse mandauit, vt testes se subscribant & sigillent. Hinc quamuis hodie ad futuram rei memoriam sæpissime testamentum nuncupatiuum a Notario in scripturam redigatur, ab adhibitis illis septem testibus subscribatur & subsignetur, non tamen inde substantia eius quæ scripturam haud requirit, mutari potest, vt dici possit testamentum scriptum, *Anton. Faber in Cod. lib. 6. tit. 15. defm. 23. n. 6.* Hoc tamen casu non opus est, vt post mortem testatoris testes iurato de testamento facto deponant, quod alias necessarium est, si tale instrumentum factum non sit. *Carpz. p. 3. c. 3. d. 37.*

§. XXVI. Progredior ad testamenta priuilegiata, vt vocant, inter quæ primo occurrit testamentum patris inter liberos, vbi necesse est, vt, si testator litteras pingere potest, hoc propria manu conscribat. *Auth. Quod sine C. de testam.* aut subscribat, si ab alio scriptum. *Richter. ad alleg. Auth. th. 12. quod & per dict. Auth. infertur;* Dum enim Imperator iubet, vt si sine subscriptione testamentum quis conficere vult, propria manu illud totum conscribat, liberum vtrumque reliquisse videtur, vt vel subscribat, vel integrum conscribat. Paria enim sunt scribere

*Testamentum
Patris inter li-
beros scriben-
dum vel subscri-
bendum a testa-
tore,*

D

bere

bere vel subscribere, & dispositio loquens de scribente, locum quoque habet in subscribente. Pruckmann. *vol. 1. conf. 12. n. 69.* Si vero neutrum horum adest, rite recteque non conficitur testamentum. Richter. *Dec. 29. n. 3.* Guttierrez. *conf. 60. n. 12. & conf. 61. n. 148.* Ioan. Dauth. *ad L. 21. §. 1. & Auth. Quod sine. C. de Testam. n. 28.* Sed anne sufficiat, si pater sigillum testamento ab alio conscripto, sine subscriptione apponat? Et concludendum est quod non. Regulam enim generalem tradit Menoch. *de A. I. Q. lib. 2. cas. 113. n. 1.* Sigillum per se nihil probare, nihilque operari, cum sit testis mutus & incertus. Et Imperator in *Auth. Quod sine. C. de testam. & Nou. 108.* expresse requirit, vt testator manu propria scribat, aut, quod huic comparatur, subscribat; non vero formæ præscriptæ per appositionem sigilli satisfactum, sed potius, si non aliunde constet, voluntate testatoris sigillum fuisse appositum, testamentum corrui. Carpz. *p. 3. c. 4. d. 18. in fin.* Et quamuis sigillum fidem faciat, scriptioni & subscriptioni comparetur, & consensum etiam sine subscriptione declaret, hoc tamen verum puto cum Wesenb. *conf. 90. n. 5.* si constet, voluntate eius, cuius est, appositum esse; vt, cum is, qui litteras ignorat, in præsentia testium sigillum adponat, & cum Menoch. *d. l. n. 3.* vt constet, qua de causa sit appositum. Si itaque nulli testes, neque coniecturæ efficaces atque vrgentes adsunt, sola sigilli impressio fidẽ non facit. Menoch. *de presunt. lib. 2. pres. 57. n. 36.* Imo superuacaneum est sigillum, si testes adsunt, qui de parentum voluntate testantur; tum enim non vi sigilli, sed testimonii a testibus prolati, sustinetur. vid. Dn. Stryk. *in Disp. de Iure Testan. inter liber. cap. 3. n. 52. 53.* Et ex his facile apparet, quid dicendum de illa quæstione, anne testa-

An sufficiat si sigillum a patre appositum.

An adempto sigillo testamen-

sta-

stamentum patris inter liberos sit reuocatum, si sigillum sit ademptum? Et respondetur quod non. Vti enim solum sigillum nullum huic testamento robur addere potest, sic quoque nullum ipsi adimere, & sufficit, si modo in reliquis partibus integrum extet; qua enim facilitate sigillum possum tollere, eadem etiam integrum testamentum dilacerare. Quod si ergo non aliunde constet, sigillum ea ademptum esse intentione, ut exinde sit reuocatum, potius per *L. 12. ff. de R. I.* pro testamento praesumendum est. Dn. Stryk. *in cit. Diss. cap. ult. n. 17.*

tum reuocauerit pater.

§. XXVII. Sequitur testamentum militis. Cum autem milites non priuatis negotiis occupari debeant, sed numeris & signis suis iugiter inhærentes, Rempublicã, a qua aluntur, ab omni bellorum necessitate defendere *L. Milites 31. C. loc. conduct. L. 15. C. de Re Milit.* possibile ipsis non est nimiae subtilitati & diligenti obseruationi, quam testamenti conditio requirit, otium & operam tribuere, praesertim, quando iam in acie sunt; Ideoque testamentum militis in expeditione occupati ex nuda testantis voluntate, sine vlla soleñitate & absque testibus, ac quocunque modo voluerit, valet. *Pr. Inst. de Milit. Testam.* Sufficit igitur quod de militis voluntate constet; Vnde si miles quid in vagina, aut clypeo literis sanguine rutilantibus adnotauerit, aut in puluere inscripserit gladio sub ipso tempore, quo in praelio vitæ sortem derelinquit, valebit. *L. Milites 15. C. eod.* Verum hic duo testes necessarii, qui viderint ipsum hoc scripsisse *L. 40. ff. eod. L. 24. ff. eod.* Ergo testes necessarii, non quidem ad essentiam, bene tamen ad ipsius testamenti existentiam. Et his priuilegiis adhuc hodie fruuntur nostri milites, uti hac de re claram Decisionem habemus in *Inform. Notar. Maximil. 1.* vbi distinguuntur tres casus; aut enim miles constitutus est in acie, aut in ca-

Testamenta militis subsistunt ne solennibus.

stris, aut in præfidiis. Illi quocunque modo, isti coram duobus testibus, hi coram septem testibus ad ductum iuris communis testamenta conficere coguntur. Carpz. p. 3. c. 4. d. 26. nisi perpetuis hostium incursionibus sint obnoxii & quouis momento ad pugnandum debeant esse parati Carpz. d. c. 4. d. 28. Hinc si miles in acie aut in castris decedat, & post eius obitum quis producat testamentum solenne, merito suspectum erit. vid. Dn. Stryk. in *Disp. de Suspensione. cap. 4. n. 17. seqq.*

*Item testamen-
ta ad pias cau-
sas.*

§. XIIII. In testamento ad pias causas sola simplicitas iuris Gentium attenditur, adeo, ut illa, quæ iure Gentium ad testamentum requiruntur, sufficiant etiam in dispositione ad pias causas. Tiraquell. *de priuileg. pie caus. priu. 4. seq.* Mascard. *de probat. conclus. 1177. n. 15.* Iure Gentium vero ad subsistentiam testamenti nihil amplius requiritur, quam ultimæ voluntatis declaratio & probatio per scripturam testatoris, etiam si testes non accesserint, idque procedit ad instar testamenti patris inter liberos, in quo sola certitudo voluntatis sufficit. Et hoc argumentum a testamento parentum inter liberos ad testamentum ad pias causas probant Nicol. Reufner. *de Testam. p. 4. c. 12. n. 5.* Ioan. Wammes. *consil. canon. tom. 1. consil. 381. n. 4.* Schurff. *cent. 1. cons. 31. n. 6.* Aluar. Valasc. *Tom. 1. consult. 67. n. 8.* B. Dn. Brunnem. *Consil. 115. per tot.* Quod autem in *Cap. Relatum. 11. X. de testament.* duo vel tres testes requirantur, hoc saltem probationis gratia fit, uti ex adiecta ratione videndum, quia in ore duorum vel trium testium consistit omne verum. Non autem duo testes necessarij sunt in testamento ad pias causas ad solennitatem, quasi sine eis in se non sit validum; sed solum ad faciendam fidem in foro exteriori, de quo solum sermo est in *d. cap. 11.* Neque etiam

etiam vnquam statutum est, vt testamentum ad pias causas sit nullum sine duobus testibus, sicut iure Ciuili testamentum nullum est sine septem testibus. Molina *de Inst. & Iur. Disp.* 134. n. 7. Couarruu. *ad d. cap. relatum. X. de testam. n. 8.* Sufficit ergo hoc casu æquipollens probatio per indubitatam testatoris scripturam, vt hinc nihil intersit, quid ex æquipollentibus fiat *L. 3. C. de Inst. & substit. L. fin. C. de donat. qua sub mod.* Sed quid de eo casu, quem Dn. Stryk. *in Not. ad Brunnem. I. E. lib. 2. cap. 12. §. 4.* adducit; Confecit quis testamentum ad pias causas, & in fine dispositionis mentio facta appositi sigilli, quod tamen non reperitur, quæritur ergo, annon exceptio deficientis sigilli his circumstantiis releuans sit, ita, vt testamentum, tanquam imperfectum ratione voluntatis, declarari possit? Respondetur, sigillum ad perfectionem testamenti ad pias causas nullibi requiritur, ideoque testator abundantis cautelæ ergo hoc in sua vltima dispositione adnectere voluit, tale vero si omissum sit non vitiat. *L. 17. C. de testament.* Imo licet testator per modum conditionis sigilli mentionem fecisset, firma tamen manet decisio *L. 33. ff. de hered. instit. conditio frustra expectatur, cuius euentus nihil operatur.* Hinc sufficit, quantum ad testamenta ad pias causas, voluntatem perspicuam esse. Menoch. *consil. 224. n. 24.* & imperfectio ratione solennitatis abundantis & non necessariæ, quæ adesse & abesse potest, actum inuolidum reddere nequit, siquidem testator non expresserit, quod testamentum in casum non adpositi sigilli debeat esse inuolidum. Et quamuis testator voluerit sigillum adhiberi, sed hæc voluntas defecerit, non dicitur defectus voluntatis sed potius solennitatis, cum non defecerit in continentibus dispositionem ipsius testatoris. Dn. Stryk. *in Not ad Brunnem. I. E. cit. loc. pag. 516.*

Quid si in testamento ad pias causas mentio sigilli facta, hoc tamen appositum non inueniatur.

*An testator re-
mouendo sigilla
testium testa-
mentum reuo-
casse presuma-
tur.*

§. XIX. Cum ad solennitatem testamenti requiratur sigillatio testium, & pro solenni quoque adhibita sit a testatore, consequens erit dicere, per sigillorum remotionem videri testatorem recessisse a priori voluntate, & illud testamentum non velle valere *L. 30. C. de testam.* Modo tamen hæc sigillorum turbatio fiat consulto, & hoc præsumitur si apud testatorem reperiatu r testamentum, nisi forte mentis alienatio superuenerit, tunc enim huius nulla amplius voluntas. Richter *de testam. ad d. L. 30.* Secus si casu, h. e. citra voluntatem testatoris, sigilla remota, idque in dubio factum videtur, si apud tertium inueniantur tabulæ; tertii autem factum, licet consulto factum, hoc intuitu adhuc pro casu habetur; Nisi hæc rescissio per intermediam personam ad mandatum testatoris facta probetur, mandatum autem hoc non præsumitur, & si probatio hæc deficiat, recurritur ad iuramentum purgationis, ad excludendam scil. suspicionem fraudis. Carpz. *p. 3. c. 5. d. 28. n. 7.* Multum tamen hic ex solerti indagacione circumstantiarum dependet, & hinc arbitrio iudicis locus datur. Si autem testator ipse sigilla remouere cupiat, vtile erit litis euitandæ causa, vt binis verbis subscribendo testetur, se studio amouisse sigilla. arg. *L. 1. §. 1. ff. de his que in test. del.* Conf. Illustr. Dn. Stryk. *Disp. de mutat. & conseruat. vlt. volunt. th. 44.*

*An testator te-
stamentum
clausum resi-
gnans, id re-
uocasse censea-
tur.*

§. XXX. Alia est quæstio: An testator testamen- tum clausum a se & inuolutum resignans censeatur id reuocasse? Quod negatur, nam ad reuocationem testamenti requiritur, vt ipsum testamentum sit cancellatum incisumue, aut sigilla testium sint ablata vel incisa *L. 30. C. de testam.* Nec ad testamenti solennia requiritur, vt a testatore claudatur & inuoluatur testamentum, sed solum

solum hoc fit, si testator velit neminem scire ea quæ in testamento scripta *L. 21. pr. C. de testam.* neque in *Inform. Notar. Maximil. 1. Rubr. von Testamenten* hoc requisitum recensetur. Vnde licet testamentum ante ligatum vel clausum, saluis omnibus aliis, aperiatur, non potest dici reuocatum. *Struu. Ex. 32. tb. 51. vid Carpz. p. 3. c. 5. d. 27. Conf. Dn. Stryk. d. Disp. de Mutat. & conseruat. vlt. volunt. tb. 16. in med.*

§. XXXI. Ceterum constat, quod vnum testamentum pluribus tabulis authenticis scribi possit per *L. Vnum. 24. ff. qui testam. fac. poss.* Pone nunc, testatorem pluribus tabulis eodem tenore scriptis vnius testamenti voluntatem eodem tempore solenniter compleuisse, deinde vnum exemplar deleuisse siue sigilla huic detraxisse, quæritur, an hoc casu testamentum sit validum an non? Et pro validitate testamenti respondeo, quippe cum ex aliis exemplaribus seu tabulis adhuc saluis existentibus, satis adhuc de voluntate defuncti constet, nisi probetur remotionem sigillorum eo animo esse factam, quod ab intestato decedere vellet. arg. *L. fin. ff. de his, quæ intestam. del. vid. Card. de Luca Theatr. verit. & iustit. p. 1. tract. 1. Discurs. 65. n. 4.*

§. XXXII. Antequam materiam testamentariam dimitto hoc circa testamenta adhuc monendum; humanam infirmitatem quandoque non finire omnes solennitates in testamentorum confectione obseruari, sed quandoque circa solennia negligi nonnulla. Vt autem vltima hominum elogia, postquam iam aliud velle non possunt *L. 1. C. de S. S. Eccles.* exitum habere queant, quem Imperator diligenter cuius iudicium iuculcat *L. 5. ff. quemadm. test. aper.* clausula codicillaris, tanquam salutaris & ad instar emplastri, omnia vitia sanantis, testamen-

Quid si testator in pluribus tabulis fuerit testatus, & vni sigilla detraxerit?

Si in testamento signacula testium omissa, an hoc per clausulam codicillarem subsistere possit.

tis

tis apponi solet, qua cauetur vt si testamentum valere non possit vt testamentum, retineat tamen vim codicillorum vel fidei commissorum, & ita ab intestato heredes venientes sua parte detracta testatoris voluntatem impleant. vid. Vital. de Cambanis *in Tract. de Clausul. pag. 7. argum. 4.* Quæro igitur, si quis testamentum, in quo signacula testium ommissa, relinquat, anne hoc tanquam codicillus valere possit, si clausula illa codicillaris adiecta? Et respondetur quod sic, requisita enim codicilli hic adfunt scil. quinque testes, & licet signacula testium non apposita, horum tamen defectus non attenditur, cum sint tantum de solennibus, defectum autem circa solennia supplet clausula codicillaris *L. ult. §. fin. C. de codicill.* Imo & in codicillis non necessaria est subsignatio, sed sufficit sola testium & codicillantis subscriptio *Barry de Success. lib. 1. tit. 6. n. 6.* & licet in confirmatione codicillorum, facta in testamento præcedente, paterfamilias adiecerit, quod non valere velit, nisi sua manu signatos & subscriptos, nihilominus etiam non ita scripti & signati valent. *L. 6. §. 1. & 2. ff. de Codicill.* Insuper satis constat multum interesse vtrum testamentum per se subsistat, an tantum vi clausulæ codicillaris: Illo enim modo tota hereditas deuoluitur ad heredes in testamento scriptos; Hoc modo vero Trebellianica deducitur ab heredibus ab intestato, quippe qui rogati censentur, vt heredibus scriptis restituant hereditatem. *tot. tit. ad Sctum Trebell.*

Remedium L. fin. C. de Edict. Dis. A. T. locum non habet, si sigilla deficiant.

§. XXXIII. Illud adhuc monendum restat: Remedium. *L. fin. C. de Edict. Diu. Had. toll.* habere locum, si heres prima fronte testamentum neque ruptum neque concellatum vel alio vitio visibili laborans producat, de quo vid. Achill. Personalis *Tract. de Adipisc. Possess. ex L. fin. C. de Edict. D. H. toll.* hinc si quis in iudicio iudici ostendat testa-

testamentum, quod sigillis testium legitimi numeri vallatum non sit, immissio ex *b. L. fin.* non obtinebit. Sed an apud nos vitium visibile, si testamentum in charta sigillata non conscriptum? Ita videtur, cum hoc in oculos incurrat. Verum cum hoc remedium sit iuris ciuilis, non alii defectus hic pro visibilibus agnoscendi; potest tamen postea in iudicio ordinario altera pars nullitatem ex defectu huius chartæ sigillatæ probare. vid. Respons. Farult. adductum a Dn. Stryk. *in Colleg. pract. ad I. P. F. cap. 21. §. 9.*

Quid si testamentum in charta non sigillata conscriptum.

§. XXXIV. Ob rapacitatem & diffidentiam coheredum interest, res defuncti mobiles statim, vbi mors contigit, obsignari; hinc si confectionem inuentarii nulla præcesserit obsignatio bonorum defuncti, aut si nimis sero heres, postquam per aliquot dies se immiscuerit rebus hereditariis, eas obsignari fecerit, nisi iuramento se tum purgauerit, ab omni suspitione dissipatæ hereditatis vix tutus & immunis esse poterit Carpz. *p. 3. c. 33. d. 10.* quia etsi inuentarium solenniter ac rite obsignatione etiam præcedente confectum fuerit, si tamen actor vel saltim præsumptiue probet aliqualem suspitionem circa confectionem eius in heredem cadere, vt ab omni suspitione se purget, bonorum hereditariorum descriptionem iurisiurandi religione omnino adhuc corroborare tenetur. Carpz. *d. c. 33. d. 11.*

De Confectione inuentarii.

§. XXXV. Ad inuentarium autem ne huic aliquid deesse dici possit, requiritur non solum heredis subscriptio, quæ, si ipse scribere nequeat, per specialem tabellionem præsentibus testibus cognitionem habentibus, expediri debet, sed etiam venenerabile crucis signum antea manu heredis præponi debet *L. fin. §. 2. C. de iur deliber.* Verum hæc solennitas iuris iustiniani hodie con-

An signum crucis adhibendum.

E

sue-

fuetudine non est approbata. Barry. *de Success. lib. II. tit. 8. n. 10.* Ita sufficit communiter, si a notario, præsenti- bus testibus, consignata sint bona, & in instrumentum publicum redacta. *Meu p. 2. D. 356. n. 24.* Imo quandoque plane abundat confectio inuentarii, præsertim in Saxo- nia, ubi etiam non confecto inuentario heres ultra vires hereditatis non tenetur, quas iurata specificatione edere cogitur. *Carpz. p. 3. c. 33. d. 18.*

Recognosci de- bene instru- menta subscri- pta licet non si- gillata

§. XXXVI. Recognosci debent instrumenta a par- te aduersa tantummodo subscripta, licet non sigillata. *Coler. de Proc. Execut. p. 3. c. 1. n. 19.* eo enim fine petitur re- cognitio scripturæ aut instrumenti, vt hoc medio extor- queatur confessio partis aduersæ, cū cognitio debitoris vim confessionis habeat, cui omnino standum est. *L. 25.*

§. ult. ff. *de probat. L. 19. C. de fid. instr.* Imo & quis nescit obligari etiam debitorem ex sola scriptura & conuentio- ne sigillo etiam non appposito. *L. 1. in fin. pr. ff. de pact. & tot. tit. Inst. de obligat. quæ ex consen. perfic.* Nihilque interest sua manu quis instrumentum scribat, an ab alio scriptum subscribat, subscriptio enim repræsenterat totam scripturam

Imo licet sigil- lata tantum & non subscripta.

Carpz. p. 1. D. 13. n. 3. Quod etiam verum de casu conuer- so, si instrumenta proferantur a parte aduersa sigillata, li- cet manu sigillantis nec scripta, nec plane subscripta fuerint. *Carpz. p. 1. c. 17. d. 21. B. Dn. Brunnem. in Proc. Civ. cap. 19. n. 33.* habet enim sigillum vim subscriptionis. *Roman. cons. 303. n. 2.* idemque operatur quod subscriptio. *Menoch. de A. I. 2. lib. 2. cas. 113. n. 10.* & absque subscriptio- ne etiam probat. *Klock. vol. 2. cons. 40. n. 113.* præsertim si appareat eius consensu, ad quem pertinet, fuisse apposi- tum. *Berlich. p. 1. conclus. 36. n. 35. Köppen. Dec. 40. n. 41.* & hoc etiam declarat præiudicium apud *Carpz. d. cost. 17. def. 21.*

§. XXXVII.

§. XXXVII. Sed an etiam scriptura aliena h. e. quæ ab eo, contra quem producitur, nec scriptura nec sigillata est? quod affirmatur per *Ord. Proc. Saxon. tit. 25. §. 2. vers.* Wann sie gleich nicht seine Hand und Siegel seyn. *Berlich. p. 1. concl. 44. n. 32. Carpz. in Proc. tit. 14. art. 2. n. 54.* Nec sufficit allegare, quod quis istius scripturæ & sigilli appositi notitiam non habeat, siquidem illa ignorantia per iusiurandum probanda est. *d. Ord. Proc. cit. loc. vers.* Oder in der Person Endlich zu diffitiren / daß er nemlich weder Hand noch Siegel könne / angehalten werde. *Carpz. d. l. n. 58. & 59.* Sed iure communi contrarium servatur, & recognoscendæ tantum sunt scripturæ propriæ. *Auth. Contra qui propriam. C. de Non num. pec. B. Dn. Brunnem. Proc. Ciu. cap. 19. n. 33.* Recognoscens autem non tantum manum & sigillum pro suo, sed etiam obligationem pro sua, atque ea, quæ in ea continentur, pro tali tenore, qui a producente allegatur, agnoscat, cum alterius dolo aut errore alienæ obligationi subscribi possit, vel etiam charta blanca esse potuerit. *B. Dn. Brunne- mann. in Proc. alleg. loc. n. 37.*

*An etiam reco-
gnoscidebeat
scriptura ab
alio subscripta
& sigillata.*

§. XXXVIII. Si sententia cautionem actoribus iungit cum formula hac consueta: Wann sie unter ihrer Hand und Siegel die caution einbringen würden; cautio vero a cauente subscripta, non autem sigillata offertur, quæritur inde an sufficiat? Respondetur, verba quidem sententiæ iunctim ista requirebant, attamen iis non attentis, cautionis subscriptio sufficiens statuitur, quia mens magis sententiæ quam verba spectari debebant arg. *L. 7. §. fin. ff. de supell. leg. vid. Mev. p. 5. D. 412.*

*An sufficiat si
cautio scripta
& non sigillata.*

§. XXXIX. Sigillis etiam muniri solent Consilia & Responsa collegiorum sapientum uti constat ex *L. 2. §. 47. vers. & ut obiter. ff. de O. I. & ea propter nonnulli*

*Sigilla requi-
runtur in sen-
tentiis & Re-
sponsis Ictorum.*

E

pu-

putant, candidatos iuris in solenni actu promotionis an-
nulum a promotore accipere in signum concessæ pote-
statis respondendi de iure Höpping. *de iure Sigillor. cap. 7.*
n. 18. Hinc de actis pro concipienda sententia ad Faculta-
tem aliquam iuridicam vel Scabinatum transmittendis
notandum est, quod non tantum iudex transmittens, sed &
Collegium ea ipsa remittens consignare debeat: Postquam
vero acta cum sententia remissa sunt ad locum iudicii, a quo
transmissio facta, debet iudex citare partes ad aperienda
& resignanda acta, ut & publicationem sententiæ cum an-
te diem publicationis non debeant resignari. B. Dn. Brunne-
man. *in Proc. Civ. cap. 27. n. 11.* litigatorum enim plurimum
interest, acta remissa ipsis presentibus aperiri, ut ipsi vi-
dere & explorare possint, utrum acta omnia integre,
fideliter, nullo neque addito neque detracto ad sapien-
tes transmissa sint; quamvis, si hoc non fiat, nulla com-
mittatur nullitas. Carpz. *p. 3. D. 243.*

*An acta iudici-
alia, sigillata
superiori iudici
mittenda.*

§. XL. Imo & de actis iudicialibus ad superiorem
iudicem remittendis nonnulli quidem statuunt, quod
consignata iudici superiori sint edenda. Gail. *lib. 1. obs.*
134. n. 1. Verum utile quidem hoc est, non tamen præ-
cise est necessarium, ut, si acta aperta edentur, propte-
rea vitietur processus. Meu. *p. 1. D. 755.* Nam in nullo
textu iuris hæc consignatio tanquam forma essentialis
appellationum requiritur, ac dum partes solent citari,
ut acta reuideant, & moneant quid desiderent, si quid
forsan ademptum vel adiunctum, facile hoc emendari
potest. Meu. *dect. loc. Berlich. p. 2. Dec. 267. § p. 1. concl.*
50. n. 141. In Camera vero Imperiali actis non creditur,
nisi a iudice sint sigillata. Berlich. *cit. concl. 50. n. 169.* li-
mitat tamen Iul. Magenhorst. *ad Ord. Cam. p. 2. tit. 31.*
pag. 327. si ad aperta nec ordine conscripta acta & trans-
missa

missa nihil opponatur, ea admitti, quod inferior iudex propter paupertatem id fecisse videatur, vti ex adiecto præiudicio videndum.

§. XLI. Antequam colophonem disputationi imponimus, adhuc breuissimis de litteris cambialibus agendum. Hinc quæritur an ille, qui in se suscipit solutionem alibi faciendam, etiam schedulæ cambiali sigillum suum adponere debeat? Negatiuæ autem sententiæ tanquam veriori subscribimus, nam appositio sigilli hoc in negotio nec necessaria est, nec vsu recepta. vid. Carpz. in Diss. de Cambiis th. 46. Imo & illa, quæ sunt de apicibus iuris & prolixitatem in se habent inter mercatores locum non obtinent, nam inter mercatores de plano & summarie ex æquitate proceditur, publica enim vtilitas fidem mercatorum & celerem solutionem postulat. Menoch. p. 1. A. I. Q. 510. Mynsing. 2. obs. 15. n. 5.

§. XLII. Atque hæc sunt præcipua, quæ publici speciminis causa seligere libuit, ex quibus, quando exceptio deficientis sigilli releuans fit, facile vnusquisque intelliget. Quod si minus accurate, minusque ornate posita hæc reperies, facile me L. B. excufabis, cum primitiæ academicæ tibi saltim exhibeantur, in his si erraui, turpe mihi meliora discendi cupido haud reputabis: Interim vero tibi summe Deus, ob concessas ad studia mea hucusque clementer vires, æternas persoluo gratias, tuamque in reliquis meis, quæ adhuc per vitam mihi expediendæ erunt, actionibus, assistentiam humiliter imploro.

F I N I S.

E 3

Corol-

An in litteris
Cambiis opus si-
gillo.

Conclusio.

COROLLARIA.

I.

Non licet amicum lethaliter vulneratum & in summis cruciatibus constitutum interficere, etiam si nulla spes vitæ superfit, & ipse vulneratus omnibus modis hoc desideret.

II.

Poligamiam vtut iure Diuino prohibitam admittamus, male tamen inde infertur, quod eius poena præcise capitalis esse debeat, vel quod Principi nullum dispensandi hic superfit arbitrium.

III.

Ministri Principum salua conscientia possunt honorarium aliquod accipere ab illis, quibus coram Principe negotia certa sunt expedienda.

IV.

Obligatio ad carcerem pro debito ciuili non illicita est. Commodior tamen pro creditore est obligatio ad operas pro debito præstandas.

V.

Potest quis testamentum nuncupatiuum condere, vt tamen testibus præsentibus heredem non
nomi-

nominet, quamuis alias huius testamenti requisitum sit, vt testes nomen heredis audiant.

VI.

Testamentum Principi oblatum subsistit, licet oblatio per procuratorem facta; nam testamenti publici siue iudicialis fides non dependet ex oblatione, sed ex acceptatione, & relatione ad acta.

VII.

Quod ludo perditum est, ad id petendum nulla competit actio, quinimo si solutum sit, etiam repeti potest: exceptis ludis, qui virtutis aut honestæ recreationis causa sunt inuenti. Hodie forte aliud obseruatur, sed male.



... ..
... ..

... ..
... ..
... ..
... ..

VII

... ..
... ..
... ..
... ..
... ..

... ..

... ..